



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 3. Summi Pontificis conatus pro Noaillo Cardinale & Parisiensi  
Archiepiscopo ad submissionem revocando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

## §. III.

*Summi Pontificis conatus pro Noailio ad submissionem revocando.*

Quamprimum rumor de habendo Concilio Nationali Urbem Parisinam pervaserat, mox Doctorum ingenia partim in rejiciendo partim approbando hoc remedio desudabant, atque inter eos præcipue Elies du Pin Sorbonæ Doctor scriptum edidit, in quo ostendit, quod ejusmodi Synodus gravissimis difficultatibus esset obnoxia, & primo quidem circa convocationem ob privilegium Franciæ Regibus competens convocandi Concilia Nationalia in suo Regno II. ob præsidendi prærogativam, quæ Legatis Pontificiis in Francia non conceditur, III. circa qualitatem Legatorum; cum exteros non admittat Francia, & Cardinales Galli partium personam sustineant, IV. circa facultatem eorum, quæ a Parliamentis restringi solet. V. Circa usum hujus facultatis in Synodo; non enim eis concedi potest, ut decidendorum sint arbitri supremi. VI. Circa eos, qui Synodo interessent, vel enim omnes aderunt, & tunc immensæ erunt expensæ Clero injungendæ, & hi vel viritim, vel per Provincias suffragia ferent, vel

*Merc. Hist.*  
*Aout. p. 170.*  
*Epist. Clem.*  
*XI. p. 1055.*  
*Acta Constit.*  
*pag. 188.*



Sæc. XVIII consultativa vel deliberativa? semper  
 A. C. 1715 erit confusio, VII. circa eos, qui e-  
 runt Judices, nec acceptantes, nec re-  
 cusantes. VIII. Circa modum proce-  
 dendi, IX. circa materias ibi discutien-  
 das, cum de modo acceptandi Bul-  
 lam agi non possit, nisi prius discutiatur,  
 an juste & in quo sensu fuerint  
 damnatæ propositiones, quod Papa non  
 permittet, X. circa Concilii auctori-  
 tatem in Episcoporum Personas, in  
 quas Synodus nullam habet jurisdic-  
 tionem. XI. Circa vim hujus Synodi,  
 cum ejus decisiones non sint infallibi-  
 les &c. Has tamen difficultates oppo-  
 sito scripto Basnagius dissolvere nite-  
 batur: Interim Amelotus die decima  
 Decembris Lutetia Parisiorum profectus,  
 die quarta Januarii Romam venit, ubi  
 exposito Legationis suæ negotio Pon-  
 tifex paulopost Cardinalium Congrega-  
 tionem habuit, sæpiusque cum Ame-  
 loto contulit; voluit etiam, ut hic cum  
 Cardinale Fabronio frequentes haberet  
 consultationes: tandem vero Oratori  
 Gallico declarabat Pontifex, Concilium  
 Nationale rem fore longissimi temporis,  
 in mora autem periculum esse, con-  
 sultius ergo sibi videri, ut hoc consilium  
 reliqueretur, Pontificiam enim simul  
 & Regiam auctoritatem ad coercendos  
 refractarios sufficere: eapropter sibi  
 fir-



firmum fixumque esse, Regi binas tran-  
mittere literas, in quarum primis Cardi-  
nalem Noailium, si in sua pervicacia  
persisteret, Purpura mox exutum iri,  
ac postea Canonum severitate plecten-  
dum minitaretur, in altera vero, quæ ta-  
men eidem duntaxat a Rege tradenda  
foret, si submissionem polliceretur. Papa  
illum duntaxat paterno affectu sine mi-  
nis ad humilem submissionem adhorta-  
retur. Hoc Pontificis consilium pla-  
cuit Fabronio Cardinali, qui Papam  
insuper eo adducebat, ut in secunda  
hac epistola quasdam insereret Bullæ  
explicationes; hac enim ratione certius  
a Noailio ultroneam submissionem expe-  
ctari posse, ajebat: Sequebatur equidem  
Pontifex hoc Fabronii consilium, quod  
tamen postea præter intentionem ma-  
gnis juxta ac diuturnis altercationibus  
ansam præbuit: Hac de re Amelotus  
Philopaldum Presbyterum Congrega-  
tionis S. Lazari tunc Romæ agentem  
clam certiozem reddidit, qui ob vete-  
rem cum Noailio amicitiam eidem  
suasit, ut mitiores Papæ literas vere  
paternas in rem suam vertens, has ipsas  
litteras suæ epistolæ Pastoralis præfige-  
ret, & ex explicationibus in Pontificis  
epistola contentis ipsas Constitutionem  
explicaret, ac denique suis propriis ex-  
plicationibus, ac si eæ in ipsa Pontificis

Sæc. XVIII.  
A. C. 1715.

B 5

epi-



Sæc. XVIII. epistola fuissent implicite contentæ, in  
 A. C. 1715 structioni Pastoralis insertis, Consti-  
tutionem acceptaret.

§. IV.

*Benignior summi Pontificis epistola  
 ad Cardinalem Noaillium Pari-  
 siensem Archiepiscopum.*

*Epist. Clem.  
 XI. p. 2055.*

Clandestinas hasce artes penitus igno-  
 rabat Pontifex, qui etiam jamjam  
 suo Nuntio utramque epistolam sub-  
 misit, eidem tamen præcipiens, ut e-  
 pistolas, qua paterne ad submissionem  
 invitabat, Noaillio minime redderet,  
 nisi de ejus subjectione certa spes fo-  
 ret: Mitioris autem epistolæ die vige-  
 sima sexta Februarii datæ tenor erat se-  
 quens.

„Charitas Christi, quam commisso  
 „Nobis universo gregi Dominico de-  
 „bemus impendere, urget Nos, ut er-  
 „ga eos potissimum, qui in Templo Dei  
 „super candelabrum positi, veluti lu-  
 „minaria Majora præfulgent, Pastoralis  
 „nostræ sollicitudinis studium conver-  
 „tamus, ut nihil in eorum actibus mi-  
 „nus congruum, aut forte inordina-  
 „tum appareat, quod cæteris Christi-  
 „fidelibus offendiculo esse, aut a prava  
 „sentientibus trahi quodammodo possit  
 „ad iniquitatis exemplum. Cum igitur,  
 „dilecte Fili Noster, circumspe-  
 „ctio-